

MALEDICUS.

Vide verb. Poena art. 2. à num. 160. ad 164.

MALEFICIUM.

Vide verb. Superstitio à num. 15. ad 80.

MALESONANS PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatæ. num. 38.

MARITUS.

SUMMARIUM.

- 1 **M**ARITO non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam.
- 2 Maritus graviter peccat contra iustitiam consummendo, & dilapidando bona uxoris sine eius licentia, adeoque tenetur ad restitutionem.
- 3 Maritus potest irritare uxoris vota, que præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie.
- 4 Immo secundum multos maritus potest directe irritare quæcumque vota uxoris.
- 5 Quamvis tamen probabilis sit oppositum.
- 6 Mortua uxore, usus-fructus dotis spectat ad maritum, proprietates vero pertinet ad filios.
- 7 Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem, vivente uxore, & quando ejus dominium acquirat? remissive.
- 8 Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aque judicium, & hujusmodi in testimonium, quod non sit adultera.
- 9 Maritus quando possit, & debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, & offerre, remissive.
- 10 Maritus à mortuis reviviscens non tenetur amplius pristinae uxori.
- 11 Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate, &c.
- 12 Maritus occidens propriam uxorem ad effectum ducendi aliam, & extractus ab ecclesia ad formam bullæ condemnatur, annuente Sanctissimo, ad penam extraordinariam.
- 13 Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate, ad instantiam tamen Sacræ Consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines.
- 14 Alia ad rem, remissive.
- 15 Addit. inseruntur, ad num. 21.
- 1 **M**ARITO non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam. Communis ac certa. Unde Alexand. VII. die 24. Septemb. 1665. merito damnavit inter alias sequentem propositionem 19. in ordine: Non peccat maritus occidens propriam auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.
- 2 Maritus graviter peccat contra iustitiam consummendo, & dilapidando bona uxoris sine eius licentia, adeoque tenetur ad restitutionem. Communis. Vid. verb. Bona art. 4. num. 16. ad 18.
- 3 Maritus potest irritare uxoris vota, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie. Communis. (Leg. 8. tit. 9. p. 1.) Immo secundum Sanchez, Sotum, Tambur. & alios, maritus potest directe irritare quæcumque vota uxoris, eo quod

voluntas ejus videatur esse plene subiecta dominio viri, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. vers. 22. ibi: *Mulieris viris suis subdita sint sicuti domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie*. Quamvis tamen probabilis sit cum Sancto Antonino, Navarr. Azor. Valent. Suarez, Lessio, Bonacina, Laym. Castropalao, Illung citatis & sequentibus à La-Croix l. 3. part. 1. n. 493. quod maritus possit solum irritare illa vota, que ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie, eam subiectio uxoris respectu mariti fundetur in contractu matrimonii, adeoque detur tantum in ordine ad finem matrimonii.

✦ Falsum visum est celebrioribus Theologis, virum posse quæcumque uxoris vota irritare: etsi enim in irritum mittere possit vota sibi, aut familie noxia, & incommoda, v. gr. vota de jejuniis, humilationibus peregrinationibus, & elemosinis ex rebus ad familiam pertinentibus, ac præsertim continentie votum, non sic autem vota de certis precibus recitandis, de superstitio & dissolutio ornatu rejiciendo, de abstinendo à spectaculis, & choreis, de pauperibus alendis labore & opere manuum suarum, quibus familia non indiget, de secundis nuptiis vitandis, de ingressu monasterii, si viro superstes fuerit, ut inquit Natalis Alexander. Immo mulier ipsa, inquit, nonnulla mariti vota facere potest irrita, que scilicet sibi incommoda sunt, aut familie, qualia sunt vota continentie, abstinentiæ immo dicarum, vel diuturnarum peregrinationum, & quarumcumque rerum, quibus impotens ad debitum conjugale fieret. Atque hinc patet, quam inepte ad id afferat Paulinum textum, quo mulieres subdite viris declarantur: nam subiectio hæc tanta non est, ut omne in omnibus eis dominium admittat; sed in iis tantum quibus marito, ut conjugi, & familie domino subiectur. Quamobrem ita libera est in iis votendis, quæ supra indicavimus, ut dominio mariti fieri irrita nequeant. Regula autem in hoc generalis erit, ut maritus irrita facere possit vota, quæ sine ipsius consensu emittente, ac servare mulier nequeat; quæ vero mulier sine viri consensu licite ac rationabiliter promittente, & servare potest, vovete etiam potest, quin votum auctoritate mariti revocari possit.

† Dicit Theologus, quod falsum visum est celebrioribus Theologis, virum posse quæcumque uxoris suæ vota irritare &c. atque hinc patet, quam inepte ad id afferat Paulinus textus, ad Ephes. 5. v. 22. &c. Sed bona venia ipsius Theologi ea non est mea opinio, & Paulinus textus afferat ab aliis; dico enim ibi secundum alios: Meam autem opinionem aperte declaro n. 5. immediate sequenti sic concludendo, quamvis tamen probabilis sit cum S. Antonio, Navarr. Azor. Valent. Suarez, Less. Bonacina, Layman, Castropal. Illung, citatis, & secutus à La-Croix lib. 3. p. 2. n. 493. quod maritus possit solum irritare illa vota, quæ, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie. †

Mortua uxore, usus-fructus dotis spectat ad maritum, 6 proprietates vero pertinet ad filios; leg. 1. Cod. de bonis matern. Rota recent. part. 3. decis. 126. num. 2. & part. 11. decis. num. 25. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem vivente uxore, & quando ejus dominium acquirat? Vid. verb. Dos art. 1. & art. 3. (Vid. verb. Ususfructus.)

Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aque judicium in testimonium, quod non sit adultera. Ita Sotus apud Escobar l. 8. n. 381. La-Croix l. 6. n. 675. & de esse absolute illicitum docet S. Thom. quest. 80. art. 6. ad 3. & alii communiter arg. c. Ex tuncur 8. de purgatione vulgari, & cap. Consulisti 20. caus. 2. quest. 4. ubi expresse prohibentur hujusmodi probationes ad explorandum alterius innocentiam.

Maritus quando possit, & debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, & offerre? Vide verb. Debitum conjugale per tot.

Ma-

MARTYRIUM.

SUMMARIUM.

- 1 **M**ARTYRIUM quid sit.
 - 2 Ad martyrium in adultis requiritur, quod mors, seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur.
 - 3 Unde, si quis adultus in odium fidei christianæ dormiens occidatur, & hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus Martyr.
 - 4 Esset tamen talis vere Martyr, si prius cogitasset se morte ob fidem subeunda, & statuisset se cum potius mori in vinculis, & in tormentis, quam fidem Christi negare.
 - 5 Nedum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. Joanne Apostolo, & Evangelista.
 - 6 Ad verum martyrium non satis est pæna, vel tolerata mors ob fidem Christi.
 - 7 Hinc, si heretici occidantur propter scilicet suam, quam profitentur, non sunt Martyres, quamvis pro uno vero articulo occidantur.
 - 8 Non solum sunt Martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt.
 - 9 Hinc S. Joann. Baptistæ est vere Martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit, & sic de variis aliis Martyribus.
 - 10 Ad martyrium tria potissimum requiruntur, que assignantur.
 - 11 Martyres græcæ, Tester latine dicuntur.
 - 12 Martyres sunt, non solum illi, qui violentam mortem seu cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, sed etiam illi, qui à persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati in carcerem, vel in exilium missi, & arumnis confecti usque in finem perseverantes, propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt.
 - 13 Item Martyres sunt etiam Infantes occisi ob odium fidei Christi.
 - 14 Immo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem sunt veri Martyres.
 - 15 Miles Catholicus, qui pro fide adversus hereticos, vel infideles pugnando occidatur, non sunt proprie Martyres.
 - 16 Si tamen in statu gratiæ sic generose pugnando occidatur, speciali gloriæ coronandi ad calum evocant.
 - 17 Morientes ob amorem Dei in servitio pestis infectorum non sunt proprie Martyres.
 - 18 Scipios interficientes etiam propter peccatum à se commissum non sunt Martyres.
 - 19 Non licet seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, & se martyrio ingerere.
 - 20 Afferitur clara ratio.
 - 21 Licet tamen, interveniente divino instinctu, vel rationabili causa.
 - 22 Immo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi.
 - 23 Ad martyrium in adultis prærequiritur Baptismus fluminis, si adit opportunus.
 - 24 Ad martyrium autem in adultis baptizatis, & actuali peccato mortali obnoxio, prærequiritur Confessio Sacramentalis, si adit opportunus.
 - 25 Si tamen non addeset opportunus confessio, satis esset contritio supernaturalis, cum voto sacramenti Penitentia.
 - 26 An in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti Penitentia, ita sufficiat etiam
- 10 Maritus à mortuis reviviscens, non tenetur amplius pristinae uxori: maritus enim non tradidit uxori corpus suum, sicuti uxor non tradidit suum marito, nisi usque ad mortem, juxta illud Apostoli Ad Corinth. 7. Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat. Unde si adhuc vellet esse conjuges, de novo foret contrahendum. La-Croix l. 4. art. 3. num. 418. ubi ex S. Thoma, & Gobat testatur esse communissimam Theologorum.
 - 11 Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate; sed annuente sanctissimo, attenta atrocitate delictorum, condemnatur in penam extraordinariam, dummodo non excedat decennium ad Tyremes. Sac. Congr. Immunit. in Miscellana 3. Decembr. 1670. l. 1. decis. Althov. pag. 511.
 - 12 Maritus occidens propriam uxorem ad effectum ducendi aliam, & extractus ab ecclesia ad formam Bullæ, condemnatur, annuente Sanctissimo, ad penam extraordinariam, que non excedat tresdecim annos. Ead. Sac. Congr. Immunit. in Avern. 2. Decemb. 1681. l. 2. di. Althov. pag. 289.
 - 13 Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate: Ad instantiam tamen Sacræ Consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines. Ead. Sac. Congr. Immunit. in Beneventana 22. Martii 1676. l. 1. decis. Althov. pag. 1222.
 - 14 Alia vid. verb. Adulterium, Bona, Debitum conjugale, Dominium, Dos, Filius, Matrimonium, Uxor, & verb. Immunit. art. 2. num. 90. ubi datur novissima constitutio Benedicti XIV. incip. Ex quo: ita altera ejusdem Pontificis incip. Officii nostri: secundum quas nunc intelligenda & moderanda sunt omnia, que immunitatem concernunt.
 - 15 De jure mariti in uxorem leges Stryk. juridicæ. dissert. vol. 8. disp. 32. per tot.
 - 16 Nota vero hic nobilitatem mariti communicari regulariter uxori, ita ut qui ex patre nobili & matre plebeja natus est, is pro nobili habendus sit; Bessold. Politic. l. cap. 11. §. 33. Carpov. Jurisprud. consili. l. 2. de fin. 11. Quod si ex peculiari statu sive ecclesiarum, sive ordinum, nobilitas utriusque ascendens requiratur, natus ex matre plebeja pro nobili haberi nequit; Rhetius instit. jur. public. lib. 1. tit. 21. §. 9.
 - 18 Matth. Stephan. de nobilit. Politic. cap. 4. num. 44.
- Num omnia mariti privilegia uxori communicantur, non conveniunt inter se Doctores. Pro regula statuo, personale mariti privilegium, neque vivo, neque mortuo ipso marito, uxori prodesse: secus si maritus commode uti nequeat privilegio, nisi ejus usus liceat uxori; Stryk. jur. disp. vol. 4. disp. 25. cap. 4. num. 34. & plur. seq. ubi exemplis rem illustrat.
- 19 Quoad privilegia ratione officii marito concessa distinguendum ait Stryk. jurid. dissert. vol. 4. disp. 25. c. 4. n. 41. & seq. Inter officium annexam habens dignitatem, & id quod ignobile est, & plebejum; hoc casu nihil potitur mulier nequidem vivente marito &c. nisi in casibus in jure expressis. In casu vero ubi ratione nobilitatis & officii dignioris privilegium concessum, patet illud etiam uxori &c. Neque id iniquum, quoniam dignitas cum suo annexo transire debet, nominumque identitas identitatem ipsius arguere solet &c. Sed hæc ipsa intelligenda sunt de juribus, quæ in uxores cadere possunt. Confer & Myler, in Gamol. Princip. c. 2. ubi & jura persequitur, que uxoris Principum, Comitum, & Baronum ex persona maritorum competunt.
 - 20 An in viduis permancant jura mariti? Consule Stryk. jurid. dissert. vol. 4. disp. 25. cap. 4. n. 48. & plur. seq.
 - 21 De marito quoque quæri solet, an & que ex persona uxoris sortiantur, an aliquando sequatur forum illius, aut radiis ejus coruscet? At de priori adi Struv. exerc. 9. thes. 28. Tiraquell. de legib. connub. gloss. 2. num. 46. & de posteriori De Ponte l. 2. consil. 16. num. 23. & seq. Masstril. de magistrat. lib. 4. c. n. 20. & seq. ¶

- etiam attritio super naturalis cum eodem voto? Seu quod idem est. An si quis bona fide, & invincibiliter ignarus, vel oblitus precepti de contritione eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii? Adducitur sententia negativa.
- 27 Adducitur sententia affirmativa, quæ est communior, & verior, ad num. 28.
- 29 Respondetur ad auctoritates adductas pro negativa sententia.
- 30 Martyrium in adultis remittit omnem culpam, & penam.
- 31 Martyrio decoratis respondet in calo Laureola, seu Aureola, & quid sit.
- 32 Martyrium confert gratiam probabilis in ultimo instanti vite, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur.
- 33 Cur in canone mixta nominentur solum Martyres, & non Confessores.
- 34 Martyrum numerus aliquoties disquiritur.
- 35 Subnectuntur supplementa Auditoris, ad n. 36.

MARTYRIUM est voluntaria permissio, vel tolerantia mortis, seu cruciatus lethalis propter fidem Christi, vel aliam virtutem christianam. Est in re communis. Dicitur primo voluntaria permissio, vel tolerantia, ad denotandum, quod in adultis omnino requiritur, ut mors seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur. Unde si quis adultus in odium fidei christianæ dormiens occidatur, & hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sique eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus Martyr. Laym. lib. 3. sect. 3. num. 4. Dicastill. de Baptism. dist. 3. num. 6. Less. lib. 3. de iustit. & jur. cap. 1. num. 24. Reiffenst. theol. moral. tract. 7. dist. 2. quest. 6. num. 45. Suarez & alii. Esset tamen talis vere Martyr, si prius cogitasset de morte ob fidem subeunda, & starnisset seum potius mori in vinculis, & tormentis, quam fidem Christi negare, quia ratione voluntatis præhabite, & saltem habitualiter perseverantis, censereetur mortem voluntarie acceptare, quamvis dormiens occideretur, & sic tamquam verus Martyr esset habendus. Gobat in experient. tract. 2. d. n. 615. Reiffenst. loc. cit. num. 45. La-Croix. l. 6. part. 5. n. 231. cum Cajetan. Coninch. & Bonacin. ibi citatis.

Dicitur secundo mortis, seu cruciatus lethalis, quia nedom mors ipsa, sed etiam cruciatus de sellativus mortis est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. Joan. Apostolo, & Evangelista, qui fuit vere Martyr, licet à ferventis olei dolio per miraculum illasus evaserit, & morte naturali postea decesserit. Unde S. Augustinus serm. 296. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 4. tradit, eos, qui in tormentis, & cruciatibus ob fidem à Deo miraculose preservantur, corona martyrii donantur; "Non enim, ait, quia Joanni Apostolo passio defuit, ideo passioni animus preparatus deesse potuit; non est passus, sed potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsi missi sunt in caminum, non videri. Negabimus eos Martyres, quia flamma eos urere non potuit? interroga ignes, passi non sunt; interroga voluntatem, coronati sunt."

Dicitur tertio propter fidem Christi, ad demonstrandum, quod ad verum martyrium non satis est pena, vel tolerata mors, sed requiritur, quod pena, seu mors toleretur ob causam fidei Christi; unde S. Augustinus in Psalm. 34. serm. 2. num. 13. sic expresse habet; "Itaque Martyres non faciunt pena, sed causa; nam si pena Martyres faceret, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur; & antea num. 1. dixerat: Multi hic patiuntur, & pro peccatis, & pro sceleribus suis, magna vigilantia quærenda est causa, non pena: sceleratus enim potest habere Martyris similem penam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, unus Salvator, alius salvandus, alius damnandus, omnium par pena, sed impar causa." Hinc si hæretici occidantur propter sectam suam, quam profitentur, non sunt Martyres, quamvis pro uno vero articulo t. gr. pro Trinitate, aut Incarnatione, seu Adventu Spiritus Sancti

occidantur, quia, ut dicitur ad Hebræos 11. Sine fide impossibile est placere Deo, & Hæretici non habent veram fidem super naturalem, cum hæc credat omnia à Deo revelata ab ecclesia proposita, quod non faciunt hæretici unum vel alterum articulum fidei profitentes & ceteros alios abnegantes.

Dicitur quarto vel aliam virtutem christianam, quia non solum sunt martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt; nam omnia virtutum opera, quatenus referantur ad Deum, sunt quædam protestationes fidei, & qui potius vult mori, quam deficere à virtute, factio ipso protestatur Deum esse summe venerandum ac omnibus aliis bonis creatis præferendum, quod est articulus fidei christianæ, ut docet S. Thomas 2. 2. quest. 124. art. 5. & Communis aliorum. Hinc S. Joannes Baptista est vere Martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit. S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis Martyr veneratur ab Ecclesia, eo quod fuerit occisus propter salutares redargutiones, & sententiam excommunicationis latam in Boleslaum Poloniæ Regem à se gravissimis delictis emendare nolentem. S. Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, Martyr celebratur, quia pro defensione libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ gladiis impiorum occubuit. * S. Joann. Nepomucenus ex unanimi consensu S. Congregationis Rituum declaratus est vere martyrium subisse, & inter SS. Martyres canonizatus est; cum mortem pertulerit, propterea quod noluerit confessionis sigillum proflare. * Sic plarime SS. Virgines sunt Martyres ob toleratam mortem pro defensione virginitatis.

Unde ut videtur ad martyrium tria potissimum requiruntur. Primum est, ut quis mortem subeat, vel saltem cruciatus illativus mortis. Secundum, ut eam, vel eos voluntarie acceptet, & sustineat. Tertium, ut eam, vel eos sustineat propter veritatem, & confessionem fidei, vel propter alium virtutis actum relatum in Deum, in quo usque ad finem perseveret. Martyres enim, ut expresse dicit S. Isidorus lib. 7. Etymologiarum cap. 21. Martyres grece, Pentes latine dicuntur, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & usque ad mortem pro veritate certaverunt, & dicit S. Augustinus in Job c. 39. Martyr est intrepidus, & alacer testis fidei salvatoris, iuxta illud Actuum c. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem.

Testimonium autem fidei, aliarumque christianarum virtutum perhibetur, non solum ab illis, qui sanguinem fuderunt, & violentam mortem ab inimicis nostræ fidei voluntarie permissisunt, sed etiam ab illis, qui à persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati, in carceres, vel exilium missi, & ærumnis confecti usque in finem perseverantes propter fidem, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt, ut patet exemplo SS. Martyrum, & Pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani, & Eusebii Vercellensis Episcopi, quos ecclesia pro Martyribus collit.

Item testimonium, & confessio fidei perhibetur etiam ab infantibus, qui licet nullum actum proprium elicere possint, quando tamen occiduntur ob odium fidei Christi, evadunt & ipsi Martyres, ut patet in SS. Innocentio, qui ab Herode immaniter propter Christum occisus, ejus præconiū non loquendo, sed moriendo confessi sunt, adeoque ipsos ecclesia tamquam martyres veneratur. Et ratio est, quia licet ipsi non sint capaces martyrii quoad actum internum virtutis, cum nullum possint elicere actum quo acceptent martyrium propter fidem; sunt tamen capaces martyrii quoad opus externum mortis, per quod realiter conformantur cum passione & morte Christi, & reipsa propter fidem perdunt animam suam, adeoque eam rursus in celis invenient, iuxta illam generalem Christi promissionem Matth. 10. num. 39. Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Immo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem sunt veri Martyres, quia revera perdunt vitam corporalem sibi in odium Christi, aut religionis ablatam; adeoque ut sint

veri Martyres, militat eadem ratio de ipsis, ac de aliis. Sic Toletus, Henricus Reginaldus, Vazquez, Bonacina, Dicastill. cum La-Croix lib. 6. part. 1. num. 237. Reiffenst. loc. cit. num. 42. Henno tom. 2. tract. de Baptismo disp. 6. concl. 2. & alii passim.

Milites Catholici, qui pro fide adversus hæreticos, vel infideles pugnando occiduntur, non sunt proprie martyres, quia non voluntate, sed potius necessitate mortem sustinent, immo hæc hostibus inferrent, nisi ab ipsis vincerentur. Neque similitudinem gerunt Christi patientis, qui, ut jam prædixit Isaias cap. 53. n. 7. & dicitur. Ad. 8. n. 32. Tamquam ovis ad occisionem ductus est, sicut Agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, & ut habetur in Epistola prima B. Petri Apostoli cap. 2. n. 23. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum patere, non comminabatur, iradebat autem iudicanti se injuriam. Sic Tannerus, & Dicastill. cum La-Croix l. c. n. 235. Tessius, Layman, & alii cum Reiffenstuel l. c. n. 47. Et de facto Ecclesia nunquam consuevit colere pro Martyribus tales milites in actuali pugna decedentes; Immo Episcopi restiterunt Phocæ Imperatori, cum vellet similes milites cecos in bello haberi Martyres, apud Spondanum Epitom. tom. 1. ad ann. 398. n. 2.

Quamvis autem tales milites propter rationem adductam non sint proprie, & rigorose Martyres; si tamen in statu gratiæ existentes pia intentione defendendi veram nostram fidem contra hostes ejusdem generose militantes occiduntur, summum meritum consecuti, speciali gloria coronandi, ad Paradisum evolant. c. Omni timore g. caus. 23. quest. 9. ubi ex verbis Leonis IV. sic præcisè habetur: "Omni timore ac terrore depositio contra inimicos sanctæ fidei, & adversarios omnium Religionum nagera vestrum studere; Novit enim Omnipotens, siquidem vestrum morietur, quod pro veritate fidei, & salvatione patriæ ac defensione christianorum mortuus est, & ideo ab eo præmium cœlestis consequetur." Et S. Joannes à Capistrano suis cruce signatis militibus contra Turcas proponebat: "O quam felices qui in hac pugna Christi moriuntur, quia statim ab Angelis cum Sanctis Martyribus, qui pro fide mortuisunt, coronabuntur." Sic apud Wandingham ad annum 1456.

Mortientes ob amorem Dei in servitio peste infectorum non sunt proprie Martyres. Est jam communis. Opinio enim affirmans, quod tales essent proprie Martyres, fuit proscripta sub Urbano VIII. & Innocentio X. ut testantur Augustinus Matheucci in Practica Theologico-Canonica tit. 4. cap. 2. §. 4. num. 58. Et de facto ipsi nec censentur mori pro fide Christi, nec pro defensione alicujus virtutis supernaturalis, prout requiritur ad verum martyrium. Nec Martyrologium Romanum solitum citari ab Adversariis sub die 28. Februarii appellat eos proprie Martyres, sed velut Martyres, ibi: Quos velut Martyres religiosa fidelium Fides venerari consuevit, ly enim Velut indicat ipsos dici Martyres solum per quamdam analogiam, & similitudinem, non vero secundum esse proprium, & germanum.

Se ipsos occidentes, etiam propter peccatum à se commissum, non sunt Martyres. Communis, & certa. Immo Donatista, & circumcelliones id docentes damnati fuerunt in Concilio Romano sub Melchiade Papa anno 313. Cathaginensi l. anno 344.

Non licet, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, & se martyrio ingerere. Communis, & colligitur ex sacra scriptura, quæ tantum abest, ut ultroeam mortis ingestionem consulat, quin è contra fugam præcipiat. Matthæi enim 19. Christus ipse mandat: Cum persequantur vos in civitate ista, fugite in aliam & id etiam factu docuit, Joannis 8. "Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo." Unde S. Athanasius in Apologia de fuga sua sic ait: "Verbum propter nos homo factus non indignum putavi, cum quæreteretur, quemadmodum & nos, abscondere se cum persecutionem pateretur;" & insidias declinare, & sic fugit Apostolus persecutionem Hebræorum Thessalonicensium, fugit dictus S. Athan. persecutionem Constantii Imperatoris, & plures alii Sancti, ut patet in annalibus ecclesiasticis. Hinc S. Augustinus, Basiliius, Tom. VI.

stinus Epist. 228. ad Honoratum n. 5. sic ait: "Fugit Apostolus cum à persecutore proprie ipse quæreteretur: Fugit S. Athanasius Episcopus cum eum specialiter apprehendere Constantinus cuperet Imperator."

Et quod seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, non liceat se temere martyrio ingerere, aperte ipsa ratio demonstrat, quia homo non est dominus vite suæ, sed Deus, ex Sapient. 10. Tu es, Domine, qui vite, & mortis habes potestatem; & ex Deuter. 23. ibi: Ego occidam, & ego vivere faciam, & ex c. Si non licet, caus. 23. q. 4. & ex leg. Liber. ff. ad leg. Aquil. (Ad rem lex 24. tit. 1. 6. tit. 9. cum proæmio l. 1. & 2. tit. 27. p. 7.) Tum quia sic daretur occidenti gravissimi peccati occasio. Tum etiam quia ita se temere ingerere in martyrium est quædam Dei tentatio, ut advertunt S. Clemens Alexandrinus Strom. 4. cap. 5. Athanasius in Apologia de sua fuga, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. in Basil. S. Petrus Chrysolog. serm. 151. & S. Cypr. Epist. 83. ubi dicit expresse, quod temeritate non caret, temere procurare martyrium.

Dicitur autem notanter, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, quia hoc interveniente licitum est se martyrio ingerere, vel se ultro Tyrannis, & hostibus Fidei sistere, ipsosque provocare, ut licite fecisse creduntur quotquot Sancti, & Sanctæ Martyres in martyrologio, & in breviario celebrantur, ac in ecclesiasticis historiis commendantur. Unde S. Athanasius in Apologia de sua fuga sic ait: "Quod si quidam ex iis se persecutoribus dediderunt, non temeritate eò rapiabantur, sed passim apud omnes profitebantur à Spiritu Sancto hanc sui oblationem profectam esse;" & S. Augustinus loquens de variis virginibus, quæ ex tali divino instinctu se martyrio ingesserunt, & se vel in flammis, vel in flumen, motivo virginittatis servandæ, projecerunt, sic præcisè ait: "Quid? Si enim fecerunt, non humanitus deceperit, sed divinitus iussæ, non errantes, sed obediētes; Sicut de Sampson aliud nobis fas non est credere; & infra: Qui ergo audit non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemneret; Tantummodo videat utrum divina jussio nullo nutet incerto;" sic D. Augustinus l. 1. de Civitate Dei c. 26. & concordat textus in cit. c. Si non licet, caus. 23. q. 5. Immo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi, ut si esset fides neganda, aut mors eligenda; si esset peccandum, vel moriendum; si id postulet fidei, aut religionis conservatio, si id foret necessarium ad vitandum scandalum, quod per dissimulationem, vel fugam causaretur. Communis.

Ad martyrium in adultis prærequiritur Baptismus fluminis, si adsit opportunitas ipsum recipiendi. Communis. Et ratio est, quia martyrium subituri non excusantur ab onere observandi divina præcepta; In Epist. enim prima Joannis cap. 2. dicitur: "In hoc scimus, quoniam nos cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est." Præceptum autem Baptismi est expressum in sacro textu Joannis 3. "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;" & sine Baptismo fluminis, aut ejus voto nullum adultum posse salvari definit Conc. Trid. sess. 6. c. 4. Unde, qui data opportunitate ipsum recipiendi, nollet recipere, peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur.

Ad martyrium autem in adultis baptizatis, & adultis mortali peccato obnoxii, prærequiritur confessio sacramentalis, si adsit opportunitas; Penitentia enim Sacramentalis est omnibus post Baptismum lapsis per se necessaria ad salutem, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus, ut definit Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. de Penit. ibi: "Est autem hoc sacramentum Penitentię lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus;" & idem definit cap. 5. ejusdem session. 14. Unde, qui data opportunitate, scienter nollet peccatum suum mortale sacramentum Penitentię subjicere, novo peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur, nec habendus esset ut Martyr, quamvis à Tyranno in odium fidei occideretur, Communis. Si tamen non

non adesset opportunitas confessionis, satis esset contritio supernaturalis cum voto sacramenti Poenitentiae, quod in ipsa includitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. Adulti enim martyrium pro Christo subituri, non debent esse deterioris conditionis, quam ceteri Fideles, in quibus in defectu opportunitatis confessionis sufficit contritio cum voto Sacramenti, ut definit Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. Communis.

26 An autem in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti Poenitentiae, ita sufficiat etiam attritio supernaturalis cum eodem voto; seu quod idem est, an si quis bona fide, & invincibiliter ignarus, vel oblitus praecepti de contritione, eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii; Gravis est controversia inter Doctores. Negativam esse communem SS. Patrum, & antiquorum Scholasticorum doctrinam testatur Vazquez 3. p. 2. disp. 153. c. 1. & ex ipso Layman lib. 3. sect. 3. num. 6. & de facto eam tenent S. Th. 3. part. quest. 66. art. 12. ad 2. & 22. quest. 14. art. 2. ad 3. S. Bonaventura in 4. dist. 4. p. 2. art. 1. quest. 2. num. 51. & 54. Alensis part. 4. quest. 22. membr. 6. art. 1. Paludan. in 4. dist. 4. q. 3. art. 1. concl. 1. Durand. in 4. dist. 4. quest. 7. ad 3. Layman loc. c. n. 6. Vazquez loc. cit. cap. 1. Canus, Banes, & alii per textum Apostoli 1. ad Corinth. 13. ubi: "Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest."

27 Contra sententiam affirmativam tenent Cajetanus, Sotus, Prepositus, Valentia, Bellarminus, Suarez, Conink, Tannerus, Lessius, Bonacina, Castropalao, Raynald. Platel. Sporer, Illung, Aversa, Dicastill. Gobat, Gorm. cum La-Croix lib. 6. part. 1. num. 238. Laurae in 3. part. 2. disp. 2. art. 9. num. 146. Frassen tract. 1. disp. 1. art. 1. quest. 3. concl. 2. Sacram. Baptismi, Esparza curs. Theol. tom. 2. lib. 10. quest. 41. Pontius Theol. tract. 11. disp. 41. quest. 1. num. 3. Matthæucci in practica Theologica Canonica tract. 4. cap. 1. §. 10. Henno tom. 2. tract. de Baptismo disput. 6. quest. 3. concl. 2. Felix Potestas tom. 2. part. 4. num. 2944. & alii recitantes passim. Reinffestuel Theol. Moral. tract. 7. dist. 1. quest. 61. num. 59. ubi citat S. Thom. part. 3. quest. 87. art. 1. Scotum in 4. dist. 14. quest. 1. §. Ex his, ubi revera hanc tenent, licet ab aliis citentur pro alia sententia, Mastrium, Henricus, & alios, & hanc tenent Tertullianus in Apolog. ubi dicit: "Quis non pati exporet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim huic operi delicta donantur." S. Thom. cit. p. 3. quest. 87. art. 1. ad 2. ubi sic ait: "Passio pro Christo suscepta obinet vim Baptismi, & purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inherentem." Et expressius S. Augustinus lib. 13. de Civit. cap. 7. ubi sic praecise habet: "Quicumque etiam non percipit regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis: Qui enim dixit, si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in regnum caelorum, alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est; & alio loco: Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc est quod scriptum est; Pretiosa in conspectu Domini mors sanctoctorum ejus (qui vel jam sancti sunt, vel per martyrium fiunt). Quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur, & merita cum multiplicatis augeantur?" Et consimiliter loquuntur alii SS. Patres apud Platel. part. 5. num. 156. Martyrium aequiparans Baptismo, immo majorem vim, seu virtutem ei tribuentes, quam Baptismo, ut inter alios dicit S. Cyprianus in exhortat. ad Martyres, ubi: Hoc Baptisma, nempe sanguinis, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; Baptismus autem justificat peccatorem adulum secluso. Quia charitatis cum sola attritione supernaturali, ut concedunt omnes ex Trident. sess. 6. cap. 6. ubi nulla fit mentio de contritione per-

fecta; adeoque etiam martyrium cum sola attritione supernaturali juxta sensum nostrae conclusionis justificabit adulum peccatorem, seu conferet ei primam gratiam ex opere operato ex privilegio, seu promissione Christi Matth. 10. num. 32. "Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est, & ibid. n. 39. qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam: & Marci 8. num. 35. Qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam: & Luc. 6. num. 24. Qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam?" ubi, ut vides, martyrium pro defensione fidei toleratum, elevatum est ad tantam excellentiam, ut quis ex attritio fiat aequaliter contritus, quatenus illius vi, & efficacia per speciale Christi privilegium gratiam sanctificantem, & salutem eternam consequitur.

28 Tum quia tres dantur Baptismi, scilicet Fluminis, Fluminis, & Sanguinis; Si autem Baptismus sanguinis, seu martyrium praerequeret ad justificationem contritionem perfectam, essent tantum duo Baptismi, scilicet Fluminis, & Fluminis, cum tunc martyrium non justificaret, sed contritio ipsum praecedens, sique falsum esset annexum esse martyrio ex speciali privilegio Christi, seu ex opere operato, collationem gratiae, adeoque non darentur dicti tres Baptismi, quod videtur esse contra communem sensum; Unde haec secunda sententia est communior, & verior.

29 Ad auctoritatem autem illam Apostoli: Si tradidero corpus meum &c. quae videtur esse Achilles adversariorum, respondetur cum SS. Theoph. Anselm. Thom. & Suar. quos citat, & sequitur. Virinus in dict. Epist. 1. S. Pauli ad Corinth. cap. 13. num. 3. quod utique, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, vel exuram, in hoc sensu, &c. pro patria servanda, vel pro inani gloria, vel etiam pro fide Christi tutanda, sed odio erga proximum, vel alio mortali peccandi affectu reservato, vere nihil mihi prodest. Et hinc hoc sensu intelligenda sunt etiam sententiae SS. Patrum, quando dicunt, quod martyrium non habet rationem Baptismi sine charitate, seu sine charitate non valet ad salutem, & hujusmodi, & praesertim D. Thom. in illis locis, ubi citatur pro sententia contraria; cum ipsemet sic exponat, & intelligat Apostolum loc. cit. Seu responderetur cum Frassen 1. cit. Henno loc. cit. & aliis, martyrium sine charitate antecedente, & concomitante nihil prodest in eo, qui vel antecedentem, vel concomitantem habere potest, concedo, nihil prodest in eo, qui neutram habere potest, cum sit libertatis, & rationis impos, sen in sensu nostrae conclusionis bona fide, & invincibiliter ignarus, vel oblitus praecepti de contritione, elicit solum actum attritionis, nego. Immo Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 22. sect. 3. addit, quod si quis reus criminis mortalis immemor contritionis, & attritionis elicit propositum, seu voluntatem efficacem subeundi martyrium pro fide Christi, & statim durante tali proposito martyrizetur, adhuc hic justificetur ob virtutalem aliquam attritionem inclusam in illo proposito subeundi martyrium pro Deo ex motivo spei, consequendi scilicet beatitudinem, cum tali spe deestatur implicite peccatum hujus beatitudinis impedivum. Semper autem in attritione requiritur initium amoris Dei.

30 Martyrium in adultis remittit omnem culpam, & poenam, nihilque remanet in Martyre, quod ipsum remoretur ab ingressu gloriae caelestis. Communis arg. cap. Cum Marthae. 6. de celebr. Missar. §. Tertio loco, ubi dicitur, Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.

31 Martyrio decoratis respondet in caelo Loureola, seu ut teste Gobat tom. 1. tract. 2. num. 618. cum S. Thom. loquuntur communis Theologi, & Canonistae, Aureola, id est, speciale gaudium proveniens ex tam excellenti victoria; & redundans in corpus cum peculiari decore illarum partium, in quibus passi sunt Martyres, ut satis indicat S. August. lib. 22. de civitate Dei cap. 20. & clarus serm. 103. & 115. de divers. & docent Raynaud. de Martyrio art. 2. part. 6. num. 33. Gobat loc. cit. num. 619. La Croix loc. cit. num. 242. Dicastill. de Baptismo, dist. 3. num. 51. Quod si quis in ultimo Martyrium conferat gratiam probabilis in ultimo

32

instanti vita, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur, quia SS. Patres dicunt conferri, quando Martyr amplius peccare non potest. Raynaudus 1. cit. n. 25. Platel. pag. 5. num. 171. Illung theol. moral. tom. 4. disp. 1. n. 24. Matthæucc. loc. c. n. 44. Henno loc. cit. quest. 5. conclus. 2. & alii.

33 In Canone missae Martyres solum, & non Confessores nominantur, quia, ut dicit Innocentius III. l. 3. myster. missar. cap. 10. Canon fortassis fuit editus prius, quod ecclesiae memoriae Sanctorum Confessorum solemniter celebraretur, quem canonem varii censent à S. Clemente fuisse ordinatum, & ei subinde quidquam aliud ab aliis Summis Pontificibus esse additum. Ulterior autem ratio, & satis verisimilis videtur, quod concessum in canone fiat memoria, non Sanctorum Confessorum, sed Martyrum, quia ipsi effusione proprii sanguinis imitari sunt passionem Christi, cujus representatio fit in sacrificio Altaris. Matthæucci 1. c. n. 4. & alii.

34 Tam copiosus est numerus Sanctorum Martyrum, ut solum Romae unius mensis spatio decem septem millia Christiani sub Diocletiano Imperatore fuerint martyrio coronati; & in Aegypto centum quadraginta quatuor millia ultra septem centum millia exilio demandatos; Unde Genebrardus in Chronica numerans omnes Christianos martyrio coronatos in decem persecutionibus, assignat triginta millia culibet diei unius integri anni, & S. Birgitta l. 3. Revelation. ex illis solis Romae occisis septem millia culibet diei, &c. ut refer eruditissimus Berninus in tom. 1. Historiae omnium haeresum italico idiomate scripto c. 14. seculi 3. fol. 206. multiplicati (sunt ejus praecisa verba) assennono à pie di due milioni, è mezzo di Santi Martiri, absque numero aliorum plurimum post tempora Genebrardi, & S. Birgittae martyrio coronatorum. Et Bosius varie ecclesiae signa describens observavit, quod triginta tres Pontifices inter coronatos Romae martyrio fuerunt; atque isti cum aliorum locorum aliis in tribus solis primis seculis ad minus quinquecenta millia existerent, qui pro Christo mortem sustinuerunt, cum solis Diocletianus edictis suis vices centena millia morti tradiderit. Uno verbo à Martyrum Capite Christo ad haec usque tempora plusquam centies, & decies centena millia communi calculo supputantur martyrio donati. O Bone Deus, per quod excitas nos ad gloriosam pugnam, ut perveniamus ad aeternam coronam; & tamen filii hominum adhuc gravi corde diligentes vanitatem, & quærentes mendacium; in eo quod vapor est ad modicum patens demerguntur! Qui salvasti nos, miserere nostri, quos pretioso sanguine redemisti.

35 Martyres sunt pueri ante usum rationis in odium Christi occisi; Benedictus XIV. constit. incip. Beatus Andreas §. 10. & seq. In martyrologio Romano pluries inscripta leguntur nomina infantium, qui in odium Christi fuerunt occisi. Idem ibidem §. 11. Martyrologio Romano Canonizatorum nomina tantummodo inscribenda sunt. Idem ib. §. 5. Non tamen ex eo tantum Canonizatus quis fuisse probatur, quod ipsius nomen fuerit in martyrologio Romano illatum. Idem ibid. §. 21.

APPENDIX,

SIVE NOVUS DE MARTYRIO

ARTICULUS.

Novum hunc de martyrio Articulum addimus, ut ea suppleamus, quae sunt à Ferraris omissa, ac nonnulla luculentius exponamus, quae ab ipso vel obscure, aut nimis compendiose tractata sunt, vel juxta minus tutam opinionem asserta. In his vero, quem ipse tenuit, ordinem servabimus.

1 Quod graece martyrium dicitur, latine testimonium appellatur. Martyr enim testem proprie significat, ut S. August. Psalm. 118. declarat: "Testimonia graece martyria nuncupantur; quo verbo jam utimur pro latino; Ferrar. Biblioth. Tom. VI.

unde illos, qui propter testimonium Christi diversis passionibus humilitati sunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes quod latine utique possemus, sed graece martyres appellamus."

2 Primis Ecclesiae seculis Confessores appellabantur Martyres, ut habetur apud Cyprianum epist. 37. & epist. 3. ad Antonianum, ubi de Cornelio ante consummatum illius martyrium inquit: "Nonne inrer Confessores, & Martyres deputandus, qui tantum temporis seculi expectare corporis sui carniciferos, & tyranni ferocientis altiores?" Alii distinguebant Confessores à Martyribus; Confessores illos appellabant, qui Christi fidem coram tyranno confessi, & tormentis fortiter perlati superstitēs, mortem naturalem obibant; Martyres vero, qui inter ipsa supplicia vitam cum morte commutabant. Martyres alii designati, quibus mortis sententia indicta est; alii consummari, qui cruentum vitae sacrificium in tormentis Deo offerunt; alii vindicati, quos Ecclesia declarat ob fidem Christi mortem optetisse.

3 Martyrii causae tres esse debent. Prima est persecutor mortem inferens; duae enim personae ad martyrium necessariae requiruntur, quarum altera est tyrannus, qui infert, altera fidelis, qui ob fidei christianae confessionem mortem sustinet. Quamobrem S. Augustinus Donatistas Circumcelliones, mortem sibi inferentes, non martyres, sed insanos appellat lib. primo contra Gaudentium Donatistam cap. 30. inquit: "Non est constilium, sed furor; non est sapientia, sed dementia. Excusat vero sanctas mulieres, sibi pudicitiae custodiendae causa mortis conscientes: quia inquit lib. 1. de Civitate Dei cap. 22. hoc fecerunt non humanitas deceptae, sed divinitus iussae; nec errantes, sed obedientes; sicut de Sampsona aliud nobis fas non est credere. Non ergo quaecumque mors est ad martyrium, sed solum ea, quae à persecutore inferitur in odium fidei christianae. Quare falsa est sententia Theophili Raynaudi de martyrio per pestem, quam communiter Theologi jure improbant. Quamvis enim qui peste laborantibus inserviant, & eadem lue inquinati obeunt, heroicum charitatis officium exercent, & martyres per quamdam analogiam dici possint; martyres tamen ab Ecclesia non habentur, quia deest persecutor, qui vim inferat in odium fidei.

4 Altera martyrii causa motiva appellatur, quae ad martyrium movet, impellique in martyre haec causa est fidei confessio; in tyranno est fidei odium. Hic in fidei derestationem mortem infert; ille ob fidei confessionem mortem sustinet. Hinc S. Augustinus in Psalm. 34. inquit: "Martyres non faciunt panem, sed causam. Martyres enim testes Christi sunt, de quibus S. Lucas capit. 12. Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Et Ecclesia universa canit: Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.

5 Ad causam, quae motiva dicitur, officium spectat cuiusque virtutis à lege divina praescriptum. Qui ergo virtutem aliquam exercent, ejusque veritatem inueant, & ob istius defensionem & exercitium, mortem sustineant, voce aut factis testatur, se Christum profiteri, qui virtutis istius exercitium praescribit, & urget, & martyrii meritum sibi comparat, juxta illud Matthaei 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Exempla Martyrum, qui ob alioquin virtutis officium mortem sustinuerunt, videri possunt in superiori articulo ab Auctore recensita. Hic tamen animadvertas veim, inter martyres haudquaquam recenseri posse, qui mortem sustineant pro aliqua veritate, quae ad fidem non pertinet eorum, quae credenda, & agenda sunt, vel pro peculiari sibi facta revelatione, aut pro opinione tuenda, quae non dum ecclesiae judicio definita sit vera; quae concludit Benedictus XIV. lib. 3. cap. 19. de canonizatione Sanctorum, futuros non esse martyres, qui pro immaculato Virginis conceptu sanguinem fudant, quia cum nondum ecclesiae sententia definitum sit, fuisse Virginem ab originaria culpa praeservatam, mors, quae pro tuenda pia sententia sustineretur, inter opera recenseri non posset, quae sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innatescit, quod Deus hujusmodi opera à nobis requirit. Ca

Et nos pro his remunerati; secundum quod virtutum opera esse possunt causa martyrii, ut inquit S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 5. cum enim nobis non proponatur ut revelata immaculata Virginis conceptio, defensio hujus assertionis morte confirmata haberi non potest pro protestatione fidei, per quam innotescat, Deum hujusmodi defensionem a nobis requirere, ac nos pro ea gratia martyrii remunerare. Num vero votum emitti possit subeundi mortem pro tuendo immaculato Virginis conceptu, gravis controversia est a pluribus hac nostra ætate in Italia agitata; sed nondum ab Ecclesia definita sententia, & ab Apostolica Sede permisso cuilibet privato pro arbitrio opinandi, non adeo facile probari posse videtur eorum sententia, quæ assentiri posse christianum hominem votum emittere fundendi sanguinem, ac dandi vitam pro immaculati conceptus defensione. Neque enim vitam, quæ Dei est, pro his, quæ non Dei, sed nostra sunt, promittere, ac dare possumus; at si liberum nobis est opinari circa immaculatam Virginis conceptionem, pia illa sententia, qua id tuetur, nostra opinio est, nec inter opera recenseri potest, quæ Deus a nobis requirit, pro quibus vitam dare possumus atque tenemus.

12. Tertia martyrii causa finalis est quia finis mortis sustinendæ debet esse Dei gloria. Atque hac de causa hæretici, & schismatici martyrii sunt incapaces, cum enim desit in ipsis veritas, & unitas ecclesiæ, desit quoque necesse est finis ille, qui ex charitate oritur, quæ major dari non potest: extra Ecclesiam occisus, inquit S. Augustinus l. 4. de baptis. c. 17. charitatem non habuisse convincitur. Et S. Cyprianus l. de unitate inquit, esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Atque hæc de martyrii causis.

13. Videndum nunc est, quænam dispositiones requirantur in homine, ut martyrii gratiam consequatur. Ageamus primum de adultis, nonnullas deinceps de parvulis dissolvemus quasiunculas. Satis ab Auctore ostensum est numer. 23. & sequentibus prærequiri in adultis baptismum fluminis, si opportunitas recipiendi adsit, aut baptismi recipiendi votum; in baptizatis vero mortali peccato obnoxii sacramentum Penitentia, sacramentalem scilicet Confessionem, si adsit opportunitas, vel istius votum cum contritione, si confiteri peccata nequeat. Sed ad questionem, quam promovet, num scilicet adultus obligatus præcepto de contritione elicienda, per solum actum attritionis disponere se possit ad gratiam martyrii? non adeo facile probanda censetur sententia, quam ipse eligere videtur de sufficientia solius attritionis sine amore benevoli, sive charitate imperfecta. Quæ veritas ipse testatur, contraria sententia communis est SS. Patrum, & antiquorum Theologorum. Nam cum orthodoxa de efficacia martyrii doctrina non aliunde nobis constet, quam per revelationem; & cum Dei revelatio ad nos usque traducta sit per SS. Patres, & per antiquos Theologos SS. Patrum successores, manifestum est, non posse nos nisi temere a communi Patrum, & antiquorum Theologorum sententia recedere, ut excogitatum a recentioribus opinionem amplectamur. Deinde SS. Patres adstruentes charitatem necessariam in martyribus dispositionem, propriam sententiam Christi verbis, & Sacrarum Scripturarum Oraculis comprobant. Christus enim *Matth. 10.* hæc habet: "Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam: *Matth. 8.* Qui perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam: *Luc. 9.* Qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet eam." Augustino verò teste l. de moribus c. 9. non potuit Christus expressius designare charitatem, quam dicendo: *propter me*, exponens enim hæc verba, *propter te mortificamur tota die*, ita subnectit: "Charitas vero ipsa non potuit significari expressius, quam quod dictum est propter te." Adest præterea textus Apostoli Pauli 1. ad *Corinth. 13.* dicentis: "Si tradero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest." ex quo fit, martyrium sine charitate susceptum nullum fructum adferre. Ut autem Ferrarias præcludam exceptiones, proferam expositionem hujus textus, quæ tradita ab Augustino est *serm. 15. de verbis c. 12.* ubi inquit: "Deus non amat,

nisi de Deo: multum amavit, qui torqueri potuit, defecere non potuit: sed ille non potuit tanta perfere sine amore, nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quomodo? Non sit cupiditas, sed charitas; si enim, inquit, tradero corpus meum, ut ardeam, & charitatem non habuero, nihil mihi prodest. "Ut prosit tibi communicatio passionum Christi, & charitas adsit. Si enim in te fuerit charitas Dei, communicebis Christi passionibus, & verus eris Martyr, in quo charitas coronatur." Audiantur deinde alii Patres. Sic Tertullianus l. adversus Praxeam c. 1. "Etsi, inquit, corpus suum tradidisset exurendum Praxeam, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, & *Scorpiaci cap. 6.* Propterea, inquit, martyribus nihil reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. Sed dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio deceratur, ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominum Martyrem excudit." Sic S. Bernardus *epist. 77.* ab Hugone Victorinum: "Etsi, inquit, martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pena; sed ipsa fides, utique quæ per dilectionem operatur; nam absque ipsa quid est martyrium nisi pena? Quæ ergo martyrio præstat, ut absque ulla dubietate pro Baptismo reputetur, quomodo ipsa ita infirma, & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere? ubi martyrium justificandi vim totam habet ex ea fide, quæ per se & extra martyrium justificare valet. Accedit etiam S. Thomas, qui ex illis Apostoli verbis text. parte q. 66. art. 12. ad 2. colligit, "quod effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo, pergit idem S. Doctor, patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismus fluminis, & non est converso: unde ex hoc ipso probatur profectio. Et 2. 2. q. 124. art. 2. ait, Martyrium est actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem, ut elicentis. Quod autem sit meritum, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus; & ideo sine charitate non valet." Nec ratio theologica deest, quæ id suadet: primum, quia martyrium est mors pro Christo tolerata; hæc vero ex affectu amoris amicitia erga Christum esse debet, quod est a Christo indicatum, cum dicit: *Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ubi animam ponere pro amicis, ponere illam ex dilectione amicum significat. Et sane si ex metu Gehennæ, & amissionis Paradisi moveretur ad acceptandam mortem, non pro Christo, sed pro se ipso homo daret animam suam; hoc est ut malum imminens declinaret, ac bonum acquireret. Itaque ut homo pro Christo, & Deo mortuus dicatur, necesse est Dei amore mortem sustinere. Denique non minor sane in adultis dispositio requiritur ad martyrium, quam ad baptismum, ut adversarii fatentur. At ad Baptismus suscipiendum amor Dei requiritur saltem initialis; vult enim Tridentinum Concilium, ut Baptizandus adultus, præter fidem, & spem, amorem quoque habeat, quo incipiat diligere Deum veluti justitiæ fontem: amor autem hujusmodi charitas est, ut liquet, tum quod Concilium de tribus illis virtutum Theologicarum actibus loquitur, tum etiam ex eo, quod de amore verba faciat, qui spem consequitur: qui sane amor charitatis, & amicitie est, non concupiscentie; cum amor concupiscentie spem præcedat, non vero sequatur.

14. Etsi ad martyrium in adultis charitatem aliquam saltem initialem desideramus; tamen illorum non placet sententia, qui solum ex opere operantis gratiam conferre opinantur. Scimus in hæc versari opinionem Doctissimum Melchiorum Canum, Sotum, Bannesium, aliosque. Sed horum opinionum præferendam censemus sententiam S. Thomæ, & aliorum fere omnium Theologorum æquentium, non ex solo opere operantis, sed etiam ex imitatione passionis Christi, ut ait S. Thomas in 4. dist. 4. quest. unica art. 4. ad 3. & alibi; vel ex privilegio, ut alii majunt, & ex speciali quodam favore Christi, ut ajunt Piette, Vanoy, & alii; vel quasi ex opere operato, ut ait continuator Turnellii; vel denique

ex opere operato, virtute, scilicet, mortis Christi, ut universi Theologi loquuntur. Nam per martyrium remittitur tota poena temporalis; quamobrem injurius esset martyri qui pro martyre oraret: hæc vero non remittitur, nisi ex privilegio, aut ex imitatione passionis Christi, aut alio modo ex opere operato. Non enim vi mortis, quæ quandoque lenis esse potest, nec sufficiens ad satisfaciendum pro gravissimis sceleribus, quibus se quis toto vitæ suo decursu fedaverit; & ex quibus fortasse ipsam mortem, eamque per graviora quoque supplicia inferendam promeruerit. Non propter fervorem charitatis, cum multi Sancti Confessores ardentiori charitate fuerint, quam Martyrum plerique, quin tamen indulgentiam poenæ temporalis peccatis antea commissis debita consecuti sint: ergo.

15. Sed questio de Baptismi efficacia paulo uberius pertractanda est. Omnes conveniunt, hæretici Valentianis exceptis, qui teste Tertulliano lib. *Scorpiaci cap. 1.* non simplicitatem, sed vanitatem, inumo demeritam esse fabulabantur pro Deo mori, martyrium peculiari gratia, honore, atque corona à Deo donari; sed dissident invicem Theologi in modo designando, quo peculiarem sibi annexam gratiam contineat. Nullus Catholicorum dubitat, quin peculiarem hæc secum ferat gratiam, dum ab adultis hominibus Dei amore suscipiatur. Canus vero, & alii, quos supra recensuimus, vim hujus peculiaris gratiæ conferendæ amor illi tribuunt, quo adultus sponte, atque libere martyrium acceptat, & subit: quamobrem ex opere operantis gratiam conferre asserunt. Hos vero supra confutavimus, sed recensere hic placuit iterum opinionem, ut id quod certum est, ab eo, quod in controversiam inter catholicos revocatur, distinguere. Major autem difficultas est circa puerorum martyrium. Adulti martyres dicuntur alii voluntate, & opere, ut S. Stephanus. Alii sola voluntate, ut S. Joannes Evangelista, in quo voluntas opus martyrii fuit. Alii denique opere tantum, non voluntate. Hujus tertii generis sunt infantes in odium Christi occisi. Hos vero in duas classes distinguimus: in prima ponimus Innocentes Bethleemitas ab Herode in Christi pueruli odium impia jussione occisi; in altera vero alios pueros, qui vel ferventibus primis ecclesiæ sæculis persecucionibus, vel postremis sæculis à Judæis in odium christiane religionis crudeliter necati perhibentur, de quibus longum catalogum tenuit Benedictus XIV. cum in opere suo de cultu Sanctorum, tum in epistola quodam ad Illustrissimum Benedictum Veterani fidei protorem, circa causam Beatificationis Beati Andrea Pagi Rinenis, qui nondum tertio ætatis anno expleto anno 1462. à Judæis in odium Christi occisus fuit. Circa Infantes ab Herode occisos, quos semper ecclesiæ veluti Sanctos, ac Martyres venerata est, nonnulli ætate S. Thomæ opinabantur, martyres illos esse, quia Deus acceleravit illis usum rationis, gratiamque contulit, qua mortem pro Christo acceptarent, atque subirent: alii cum Richardo Armiano in Irlanda Præsule, nullum ex Infantibus ab Herode propter Christum occisis, præter circumcisos, salvum fuisse probabiliter defendi posse arbitrantur. Alii vero cum Cardinali de Vitriaco, licet fateantur, Infantes ab Herode interfectos ex peculiari privilegio salvos Sanctosque esse; tamen negant id de Infantibus christianorum à tyrannis in Christi odium occisis, quos etiam è regno colorum exclusos volunt, nisi beneficium Baptismi obtulerint. Ab hac sententia parum dissidere videntur S. Bonaventura, & Alexander Alensis: nam S. Bonaventura in 4. dist. 4. part. 2. dub. 1. postquam dixit ad martyrium completum duo concurrere, scilicet justam voluntatem, & justam causam, subdit, quod Dominus supplet, quod deest aut per voluntatis in Innocentibus, quia simul cum ipso nati erant, & propter hoc quod erat coetaneus illis; & alibi satis superque indicat, deficientem voluntatem non haberi martyrium; similia habet Alensis; ex quibus liquet, hos non agnovisse, nec admisisse martyres ex solo opere sine voluntate, exceptis SS. Innocentibus ab Herode occisis, in quibus Deus voluntatem supplevit.

16. Communis tamen, ac universim recepta hæc ætate nostra opinio est, mortem in Christi odium illatam ex

imitatione passionis Christi, aut ex alio huic concesso privilegio, gratiam martyrii conferre, ac baptismum fluminis supplere, etiam in parvulis in utero materno occisis, licet aliquis Theologus adsit, qui de parvulis in materno utero interfectis dubitet, dum tyranno voluntas desit hoc occidendi. Ut autem clare pateat tota hæc de re sententia, nonnulla afferemus argumenta, quæ etiam parvulis martyrium prodesse ostendant. Primum enim ad parvulos quoque pertinere videtur generalis illa Christi Domini sententia apud *Matthæum 10. vers. 39.* Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Deinde ecclesiæ tamquam martyres semper venerata est omnes Infantes, quos Herodes jussit occidere, Irenæus enim lib. 3. adversus hæreses cap. 16. Infantes illos martyres vocat: eodem titulo eosdem donavit Cyprianus III. Ecclesiæ seculo *epist. 56.* adhortatoria ad martyrium; Chrysostomus hom. 3. in *Matthæum* martyres eosdem vocat; & ut alios mittam, Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. Infantes illos, inquit, in honore martyrum receptos commendat ecclesiæ; atque eodem modo Patres reliqui loquuntur. Ecclesiæ ergo semper, & ubique docuit, omnes occisos ab Herode Infantes in oculis cum Christo regnare martyrii gloria conspicuos, non distinguens inter circumcisos, & incircumcisos. Vim ergo talem in morte illis illatam agnovit, quæ omnes sanctificarentur, atque digni ecclesiæ Martyrum gloria fierent. Ergo ex universali Ecclesiæ consensu evincimus, veros hos martyres fuisse. Nec dici potest, acceleratum in his fuisse rationis usum, ut inquit S. Thomas 2. 2. quest. 124. art. 1. ad 1.; id enim nulla scripturæ auctoritate comprobatur; nec Patrum testimonio asseritur; immo S. Augustinus *serm. de diversis*, qui in recenti editione est 375. parvulos illos alloquens inquit: *Non habebatis quidem vitam, quæ in Christum passurum crederetis; sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis; quod serm. 375.* supra relatis verbis confirmat. Si ergo non aliud habebant, quod darent pro Christo, quem nondum poterant confiteri, præter carnem, non habebant usum liberi arbitrii. Aperiunt autem Chrysologus *serm. 152.* qui est de Innocentibus; dicens: "In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit & ipsa natura? & *serm. sequenti.* Vere, fratres, nisi sunt gratiæ Martyres, confitentur nascentes; nec dolentes pugnant, vincunt inscili, moriuntur inconscii, signari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes." Et Ecclesiæ universa in celebratione festi SS. Innocentium, hos venerando veluti martyres, qui fidem Christi non loquendo, sed moriendo confessi sunt, satis superque indicat, mortem, quam pro Christo subire, causam in hujusmodi Infantibus fuisse sanctitatis, & gloriæ martyrii.

17. Ecclesiæ itaque semper credidit, mortem Infantibus pro Christo ab Herode occisis, divina quadam operulacione, ut loquitur Augustinus, uberem martyrii gratiam contulisse. Atqui martyrii honore donatos etiam habuit Infantes reliquos in odium Christi deinceps à Tyranno occisos. Nam quotquot Infantes a primis Ecclesiæ sæculis ad nostra usque tempora, sive ab Idololatriæ, sive à Judæis christiane religionis causa occisi fuerint, inter Martyres recensentur. In martyrologis enim non semel memoria occurrit Martyrum, qui in infantili ætate pro Christo occisi fuerunt: in cœmeteriis itidem pluries reperiuntur corporecula puerorum, quos christiana fides hostes interfecerunt cum certissimis martyrii signis. Nemo inter Criticos est adeo severus, ut pro certo martyrii signo non habet vas aut sanguinis plenum, aut aspersum sanguine juxta corpus positum, quod in antiquis christianorum cœmeteriis reperitur; videri poterunt hæc de re viri Clarissimi, Aringus, Mabilionius, Bounarotti, Raphaelus Fabreus, Ludovicus Anronius Mbratorius, Boldettus, Maranganus, atque Victorinus, viri hæc in re peritissimi, qui unanimi consensu asserunt, supra recensitum vas certum esse martyrii signum. At in cœmeteriis pluries reperiuntur corporecula puerorum ossa cum hujusmodi signo. Ut unum afferamus exemplum, ex relatione supra citati Canonici Boldetti constat, in cœmeterio Gordiano ossa fuisse cuiusdam pueruli cum inscriptione nominis Dorothei; & cum

cum antedicto sanguinis vase; ac corpus iridem alterius pueruli annorum quinque, nomine Decentii, cui idem vas pro signo appositum erat. Quae quidem exempla satis nobis videntur ad ostendendam, ecclesiam Christi semper habuisse veros martyres etiam infantes in odium christianae religionis occisos. Atque hinc facile patet, recte sentire Theologos, qui in parvulis martyrium baptismum supplere asserunt, ac peculiarem quoque gratiam conferre; cum ex dictis constet, ecclesiam agnovisse semper martyres etiam solo opere, & non voluntate; atque in huiusmodi martyrio vim quamdam ex Christi favore credidisse, qua etiam isti pueruli sanctificari, & Martyrum gloria condecorari possent.

42 Huiusmodi Martyres solo opere, & non voluntate, in quatuor classes distinguit Benedictus XIV. in supra citata ad clarissimum Praesulem Veterani epistola. In prima classe reponit illos, qui a remotioribus saeculis in universa ecclesia publicum cultum obtinent. Quae quidem in classe soli Innocentis pueri ab Herode occisi reponi possunt; cum de nullo alio constet in universa ecclesia a remotioribus saeculis publicum cultum obtinere.

44 In secunda classe pueros statuit in odium Christi fidei occisos, qui ab immemorabili tempore in aliqua civitate, aut diocesi publicum cultum habent, scientia, tolerantia, ac etiam expressa Ordinariorum approbatione commendantur; atque ad hos referri posse existimat plures, ac plures alios, quorum vel mentio occurrit in antiquis, & ecclesiasticis monumentis, vel certe nominibus, & signis supra indicatis, in cimiteriis inventa sunt, quorum deinceps reliquiae in aliquibus ecclesiis publicae venerationi expositae fuerunt. In quarta denique classe ita continendi erunt, quibus vita in odium Christi sublata fuit, quorum cultus via ordinaria Beatificationis, aut Canonizationis promovetur apud Apostolicam Sedem, ad quam unice spectat post decretum Alexandri III. permittere, decernere, & approbare cultum Sanctorum in particularibus locis, & in unaquaque mundi diocesi. Semper enim ad Apostolicam Sedem pertinuit decernere publicum cultum alicui Sancto pro universa ecclesia, illumque praecipere; ac sine istius approbatione, nullius Sancti cultus ab una ad omnes alias dioceses extensus est, atque universim praecipuus; & in hoc Sanctorum canonizatio consistit. Sed post Alexandri decretum civitas concessio expressae permissionis cultus in aliqua civitate, aut diocesi in honorem alicujus Confessoris, aut Martyris, Apostolicae Sedis auctoritate fieri debet; hac vero permissio *Servit Dei Beatificatio* appellatur. Ad hanc classem spectant Beati duo Pueri à Judaeis in odium christianae fidei occisi, Simon, scilicet, de Tridentino, anno 1475. interfectus, & Andreas de Pago, cuius martyrium contigit anno 1462. Non expedit huiusmodi pueris permittere, ut post Beatificationem etiam decerneretur publicus Canonizationis cultus, vide supra citatam Benedicti XIV. epistolam.

50 Unum in praesentia animadvertendum duxi, parvulis scilicet pro Christo occisis, non respondere in caelis aureolam quae juxta Theologos in gloria quadam accidentali constituit, in illa letitia posita, quam Beati Martyres experiuntur, dum victoriam cogitant, quam pro Christo dimicando reportarunt: Innocentes, inquit S. Thomas *in 4. dist. 49. quest. 5. art. 3. quest. 2. ad duodecimum*, sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc quod passivi sunt pro Christo, ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse, ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebant aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate: iis coherentia habet Eminentissimus Cardinalis Capisucchi in suis controversiis Theologicis de martyrio *quest. 2. §. 26.* "In quibus cum aureolo sit praemium à Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quae ipsi pro Deo in terris patraverunt, ac proinde sit praemium respondens operibus; evidens est, sanctos Innocentes, & alios parvulos

pro Christo ante usum rationis occisos, aureola non gaudere martyrii."

Passi mors in odium Christi parvulis illata semper in Ecclesia veluti quoddam martyrium habita est, atque adeo ex divina quadam dispositione peculiaris gratia productiva; tamen censura digni dici non possunt à privatis viri Theologi illi, qui de salute dubitant parvulorum, quos hac de causa infideles interfecerunt priusquam nati essent, aut antequam baptismum suscepissent. Ecclesia enim nunquam antiquos illos Theologos damnavit, qui peculiare huiusmodi privilegium ad solos Bethlehemiticis pueros restringere, & qui acceleratum his fuisse dixerant rationis lumen, ut ex libera acceptatione mortis pro Christo gratiam consequerentur martyrii; horum enim opiniones nunquam ecclesia proscripsit. Ac multo minus reprehendi illi Theologi possunt, qui negant salvos, ac proinde Martyres esse pueros in materno utero inclusos, de quorum occisione nequidem cogitatur infideles illi, qui in odium Christi matres interfecere, qui de occidendo filio in ejus utero incluso unquam cogitaverint; cum in his voluntas quoque Tyranni desit saltem directa occidendi puerum pro Christo, quandoque praesumi etiam possit voluntatem habuisse non occidendi.

Restat ut nonnulla dicamus de pluralitate Martyrum priorum ecclesiarum saeculorum. Huic controversiae occasionem dedit Dodwellus, qui in suis dissertationibus Cyprianicus de paucitate Martyrum priorum ecclesiarum saeculorum disputavit. Hujus autem viri temeritatem demonstrarunt plures eruditi Catholicis viri, scilicet Theodorius Rujartius in opere hac de re contra Dodwellum scripto; Josephus Augustinus Orsi celeberrimus Ordinis Praedicatorum Theologus, & postea S. R. E. Cardinalis; ex eadem quoque Praedicatorum Familia Martyrum pluralitatem vindicavit Clarissimus Analdi, egregius aetatis nostrae in Universitate Taurinensi Theologus; & aliis missis eruditus D. Gerardus Castellus Canonicus Ordinis S. Crucis in controversiis ecclesiasticis-historicis; ii enim innumerabilem Martyrum multitudinem fuisse ostendunt in Christi ecclesia primorum saeculorum, tum singulas numerando persecutiones, tum ex Eusebio Caesariensi *lib. 6. Hist. Ecclesiast. in quo cap. 6. 23.* innumerabiles Phrygiae Martyres recenset, & *cap. 8. prope infinitos* in Aegypto Martyres obiisse scribit, tum ex Prudentio, qui Martyrum numerum sub solo Diocletiano incredibilem fuisse *cap. 17.* tum denique ex omnibus fere SS. Patribus II. III. & I. etiam saeculi, qui sine numero obiisse ecclesiae Martyres scriperunt; scilicet S. Iraneus circa medium II. saeculi *lib. 4. adversus haereses cap. 64. Ecclesia*, inquit, *in omni loco ob eam, quam habet, dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore praemisit ad Patrem.* Clemens Alexandrinus circa finem ejusdem saeculi *lib. 2. Stromatum ait: Nobis autem sunt quotidie Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torquentur, & capite truncantur.* S. Cyprianus circa medium III. saeculi de exhortatione ad mart. *cap. 11. scribit: Numerari non possunt Martyres Christiani; quod si tantus ostenditur, & probatur Martyrum numerus, nemo difficile, vel arduum putet esse Martyrem fieri, quando videt Christianorum Martyrum populum non posse numerari." Similia leguntur apud omnes Apologistas religionis christianae; apud Laetantium in lib. de mortibus Persecutorum; apud Eusebium, & alios antiquos historicos ecclesiasticos; apud Ambrosium, Augustinum, aliosque antiquos Patres; quod sic indicasse sufficiat, ut Lectoribus pateat, quanta fuerit haereticis Dodwelli temeritas, qui adversus tot luculentissima testimonia de Martyrum paucitate ausus sit disputare.*

MATER.

SUMMARIUM.

MATER praegnant in periculo vitae, quod nequit aliter evitare, potest sumere medicamenta ordinata directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possit

sint tendere ad fetus nondum animati interitum.

2 Non potest tamen mater praegnant in tali periculo ob tuendam sanitatem sumere medicamenta ex se, & directe tendentia ad interitum fetus, quamvis nondum animati.

3 Si medicamentum, seu remedium aequè tendat ad sanitatem matris, ac ad interitum fetus nondum animati, potest mater probabilius illud licite sumere.

4 Quando fetus est jam animatus, certum est, quod non potest mater pro salvanda propria vita licite sumere medicamenta, seu remedia de se directe & primaria tendentia ad interitum ipsius fetus animati.

5 Nec etiam potest mater licite sumere talia remedia in casu, quod dubitetur, an de facto sit fetus animatus.

6 In casu autem, quo medicamenta, seu remedia adhibenda aequè efficerent tendant ad sanitatem matris, & interitum fetus animati alioquin desperati, poterit mater probabilius licite ea sumere.

7 Quidquid negent aliqui.

8 Dato, quod certo, vel probabili Medicorum judicio mater simul cum fetu animato ante partum moritura sit, & adhibitis remediis spes sit, quod saltem mater servari possit, tunc licite potest mater adhibere remedia per se directe, & efficacia ad suam sanitatem, quamvis inde per accidens contingat fetus enecari.

9 Exstante vero spe quod proles possit in lucem vitam prodire, & baptizari, tenetur mater ab huiusmodi remediis & postponere propriam vitam corporalem salutem aeternae prolis.

10 Fetus quando animetur.

11 Alia remissive.

12 An mater teneatur permittere sectionem, ut baptizetur puer, alius moriturus sine Baptismo.

13 Mater praegnant crebras, & numerosas choreas ducentes cum agitatione, ob periculum, in quod incipit se ipsam, & fatum, regulariter non eximitur à peccato gravi.

14 Mater tenetur alere filios primo triennio.

15 Alia quaedam haec remissive.

16 Mater, & nutrix, quae sine debita cautela infantem venellum retinet noctu in lecto, in quo ipsa cubant, sive sequatur suffocatio, sive non, ordinarie peccant graviter.

17 Possunt tamen dari casus, in quibus mater, & nutrix excusentur à culpa gravi, & etiam aliquando à veniali, & assignantur.

18 Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore privilegio immunitatis gaudere debet.

19 Mater praeterea res infanticidi extracta ab hospitali ad formam Bullae, gaudet immunitate, adeoque est restituenda dicto loco immuni.

20 Matricida extractus ab Ecclesia gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Cavendum tamen est, ne in his tribus ultimis casibus interveniat casus praemeditatus, ob quem rei homicidii privantur immunitate ex novissima constit. Benedicti XIII. *relata sub verb. Immunitatis: Et ex alia novissima constitutione Benedicti XIV. allata in supplement. ad dict. verb. Immunitatis.*

21 Matris masculina est filius stultus.

22 Matris maledictio eradicat fundamenta.

23 Adit. inseruntur, ad num. 44.

MATER praegnant in periculo vitae, quod nequit aliter evitare, potest sumere medicamenta ordinata directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possit tendere ad fetus nondum animati interitum. *Communis*, cum S. Antonino *3. part. tit. 7. cap. 2. §. 5. Diana part. 7. tract. 5. resolut. 34. Bossio tract. de effect. matrim. cap. 9. num. 80. Card. de Lugo tom. 1. disp. 10. num. 132.* & aliis passim. Eadem est ratio quoad hoc de expulsiōe seminis, & fetus nondum animati unde sicuti licite sumuntur medicamenta directe ordinata ad sanitatem, quamvis ex his sequi possit seminis effusio, seu pollutio omnino praeter intentionem, & consensum, ita licite possunt su-

mi medicamenta directe ordinata ad salutem matris praegnantis, quamvis indirecte omnino praeter intentionem ex his sequi possit fetus non animati interitus.

Non potest tamen mater praegnant in tali periculo ob tuendam sanitatem sumere medicamenta ex se, & directe tendentia ad interitum fetus quamvis nondum animati. *Lugo tit. 1. disput. 10. sect. 5. num. 132. Sporer tom. 3. Theolog. Sacramental. part. 4. cap. 4. sect. 1. num. 704. cum aliis ibi citatis, Basilii Pontius lib. 10. cap. 13. num. 3. Bonacina de restit. disp. 2. quest. ultim. punct. 7. num. 3. Vazquez opuscul. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 29. & cap. 3. §. 5. dub. 15. Mazuchellus de casibus reservat. disp. 2. cap. 1. quest. 1. difficult. 3. Navarr. in Summa cap. 25. num. 62. Corduba in Summa quasi. 137. dist. cap. 4. & in Questionari. lib. 1. quasi. 38. dub. 2. Rosignolus de effectibus matrimon. contract. 15. de matrimon. VIII. praenotat. XI. num. 3. Covarrub. in Clementin. Si furiosus part. 2. §. 3. num. 1. La-Croix lib. 3. part. 1. num. 286. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 61. & alii passim contra Torrellianam de magia lib. 2. cap. 34. num. 10. Joan. Angelum Bossium tract. de effect. matrim. cap. 9. num. 85. & alios. Et ratio nostra est, quia sicuti pro tuenda salute propria, quamvis aliud remedium non suppetat, non licet directe procurare seminis emissionem, seu pollutionem, ut tenet Communis Doctorum, & patet ex dictis verb. Luxuria num. 37. ita neque pro tuenda salute matris, quamvis aliud remedium non suppetat, erit licitum procurare directe remedia, seu medicamenta de se primo tendentia ad interitum fetus, quamvis nondum animati; est enim tam intrinsece mala abortio voluntarie, & directe procurata, quam intrinsece mala sit pollutio.*

Si medicamentum, seu remedium, aequè tendat ad sanitatem matris, ac ad interitum fetus nondum animati, potest mater probabilius illud licite sumere; *Sanch. lib. 9. de matrim. disput. 20. num. 18. Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. Diana part. 7. tract. 5. de abortu resol. 36. Rosignol. loc. cit. num. 4. & alii infra citandi sub num. 6.* Et ratio est, quia quando remedia, seu medicamenta aequè tendunt ad sanitatem matris, ac ad interitum fetus nondum animati, mater illa sumens non dicitur directe procurare ejusdem fetus interitum, seu abortum, sed solummodo directe procurat suam sanitatem, quam apte sunt de se conferre illa remedia, seu medicamenta, adeoque in tali casu potest licite sumere, quamvis ex ipsis aequè sequi possit praeter suam intentionem abortus fetus, cum tunc mater utatur jure suo potius sibi in aequali periculo consulendi, quam ferri.

Quando fetus est jam animatus, certum est, quod non potest mater pro salvanda propria vita licite sumere medicamenta, seu remedia, de se directe, & primaria tendentia ad interitum ipsius fetus animati. *Communis, ac certis, cum Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 20. num. 7. Bossio tract. de effect. matrim. cap. 9. num. 127. Sporer tom. 3. Theolog. Sacram. part. 2. cap. 4. sect. 1. num. 710.* Et ratio est, quia directe & voluntarie occidere hominem innocentem, ut esset in casu de fetu animato, est intrinsece malum, quod nullo unquam casu potest esse licitum. Nec etiam potest mater licite sumere talia remedia in casu quo dubitet, an de facto sit fetus animatus, quia cum supra sub num. 3. fuerit conclusum, non posse matrem licite sumere talia medicamenta ex se, & directe tendentia ad interitum fetus, quamvis nondum animati, tanto minus poterit illa sumere extante dubio, an fetus sit jam animatus, cum sic se insuper voluntarie, & directe exponeret periculo occidendi hominem innocentem, quod est grave peccatum. *Communis* cum supra citatis.

In casu autem, quo medicamenta, seu remedia exhibenda aequè efficerent tendant ad sanitatem matris, & interitum fetus animati, alioquin desperati, poterit mater probabilius licite ea sumere *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 28. num. 18. Trullench. in Decalog. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 5. Raymundus de ortu infant. cap. 9. num. 3. & seq. Diana part. 7. tract. 5. resolut. 36. Joan. Angel. Bossius tract. de effect. matrim. cap. 9. num. 121. Bonacina de restit. disp. 2. quest. ultim. sect. 1. punct.*